



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. VII. Cervus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

JOANNIS PIERII VALERIANI
HIEROGLYPHICORUM

LIBER VII.

DE IIS QUÆ PER CERVUM SIGNIFICANTUR.

Ex Sacris Ægyptiorum literis.
AD MAGNIFICUM ACHILLEM BOCCHIUM
BONONIENSEM.

SINGULARIS illa mentis integritas, summaque Eruditio tua (Achilles Bocchi nobilissime) nostræq; amicitia firmitas, perpetuæq; constantia jubent, ut quantum in me est, tui memoriam nullo unquam tempore apud me desurrum assidue celebrè: sive nos conjunxerit olim studiorum similitudo, sive fortuna quadam paritas (quod eodem tempore pari militia tibi Bononia, mihi Romæ easdem disciplinas profiteri contigerit) eorumdenque amicorum, quos diu coluimus, patrocinio protegi. Nulla tamen te amandi causa majores extiterunt, quam congressus illi per jucundi, per utiles, & in primis mihi salutiferi, cum tristissimo illo meo, Italiæque totius tempore recens Florentia cum Medicis meis egressus, Bononia te superiori æstate conveni. In tanta enim verum mearum omnium jactura facta neminem habui, qui sapientioribus sermonibus mororem, miserias, calamitatesq; meas molliret allevaretq; magis, quam amicissima officiosissimæque consolationes tua: in te prudenter per totius vetustatis exempla, perque ea quæ ætate nostræ conspexeramus, de humanarum rerum vicissitudinibus differentem audire plurimum juvabat. Accedebat hæc, tua illa verborum bonitas: miræ vultus, hilaritas, & festiva semper oratio, quæ me ita deliniri sentiebam, ut ad ærumnas meas mitigandas nihil accidere posset utilius, nihil accommodatius. Tecum itaque totos illos dies esse, tecum ambulare, tecum sedere nunquam desisti, donec maximam ejus, quæ me tum oppresserat, anxietatis partem à cervicibus meis excussisse mihi visus es, ægritudinisque illius feritatem non parum mitigasse. Postea vero quam acerbitas illa temporum in mitiorem versa est, fortunam, elapsus è custodia Pontifex, patriæ Medici, Romæ nos restituti, mihiq; res satis belle successere, factum est, ut me tot jam laborum difficultatumq; nihil omnino peniteret. Hippolyti enim mei liberalitate sum egere vitius, liberiusque mihi otium indulgentum est. Unde datus est ad literarum studia reditus, & deserta diu Musa repetita. In his autem tu prima fuit cura, ut quæ tractasse me olim nosti hieroglyphica, diutius in situ esse minime permitterem. Accinxi me itaque ad poliendum eo tunc consilio, ut si niveus doctorum amicorum calculus accessisset, modo hoc, modo illud Commentarium emitterem. Quod ut commodius fieri posset, eruditissimis viris amicis meis libellos singulos singulis inscripsi: ut ipsi non magis mea, quam sua causa, quod corrigendum existimassent, accuratius emendare quodammodo cogerentur. Ex his Cervus tibi dedicandus fuit, propterea quod sermones illi, quos calamitoso meo illo tempore tecum fuisse repetebam, argumentum id præcipuè habuisse memini, ut tot invecitas multis ab hinc annis in plerosq; Principes calamitates, quales & quantas Europa sæpe tota vidimus, eorum delirio derivatas inde procedere querebamus, quod id hominum genus amicis sinceriores veridicosque propemodum fastidiret, plurimumque adultores subdolosque parricidas unice adamaret. Præcipuum vero Cervi esse hieroglyphicum apud Ægyptios, ut si hanc judicii captivitatem indicare vellent, Cervum fistula allectum pingerent: ut si quæ hujusmodi tendicula parrentur, haberet scitus homo quod sibi proponeret præcipuè fugiendum.

AB ADULATORIBUS PESSUNDATUS. CAP. I.

ÆGyptii hominem dolo ab adulatoribus circumventum ea pictura significabant. Quod vero Cervo insitum natura sit pastoralis fistula, vel suavi aliquo modulantium concentu demulceri,

A ceri, tantaque hinc affici voluptate, ut immemor sui nullo prorsus negotio capiatur, vel injecto allicunde telo, quod propter animi abalienationem adesse tunc minime suspicatur, evestigio transfoditur: atque ita fiat adblandientium præda, aliquod ludibrio suo convivium exhilaraturus: quem admodum cum pernicie sua ridiculi fiunt, qui lenociniis istiusmodi sese offerunt capiendos: ut recte mihi Antisthenes Philosophus dixisse videatur, *Longe satius esse in Corvos, quam in adulatores incidere.*

Diogenes
Antisthenis
Laertius in
eius vita



Hæc jam tunc in congressu illo Bononiensi dicta, puto meministi, cum tu, ut semper soles doctè aliquid declamare, subiecisti: Sapientissime quidem Antisthenes, qui ut juventutem suam (nam ea potissimum ætas huic obnoxia est incommodo) ab Archilochæ Vulpis calliditate liberaret, utili omnibus documento futurus, Corvos aiebat non tam hominibus obesse, quam adulatores. Corvi siquidem corporis tantum oculos effodiunt, quos ne utiles quidem non postremi omnis Philosophi existimaverunt: alii tamen contemplationis impedimentum nescio quod, sponte effoscos, abiecerunt. Adulatores vero mentis, quæ nostræ divina pars est, oculos erunt, intellectum scilicet atque iudicium, quibus tantum reliquis præstamus animantibus, obtenebrant: quibus ita perditis evenire necesse est, ut nihil fiat humanitati reliquum. Idem etiam dicitabat, Meretrices bona omnia amatoribus suis comprecari, præter unam mentem atque prudentiam: ita adulatores iis quos affectantur, omnia felicia ominari, præterquam sapere, ac seipsum nocere. Addidisti etiam illud, quod Crisippus Passienus dicere solebat, non esse claudendum ostium adulationi, sed aperiendum: veluti solet amicæ, quæ si fores impulit, grata est: si effregit, gratior: prodesse enim is hoc arbitrabatur, ut homo inde qualis esse debeat, admoneretur. Respondi ego: Argute quidem Passienus opinabatur, sed paucissimi, quos ardentissima virtus undecumque munerit, hoc ad se potuerunt, reliquis plerisque omnibus, ob humanæ naturæ imbecillitatem periculum imminet, nec si ad hæc aures pateecerint, tanquam Vituli inter Lupos circumveniantur, ut Crateris Cynici sententia declaravit. Contra vero sapienter illi vitam instituerunt, qui non ad ostentationem vivunt, non populares aures captant, sed sibi rerum suarum conscientiam, rationem ipsam, veram vivendi ducem, sibi proposuerunt. Quare cum veritas semetipsum nocere doceat, impediatur adulatio, illa virtutis viam, hæc vitiorum semitam collaudet; illa bonis, hæc malis parere compellat: rejiciatur a nobis penitus adulator, more Philosophi Timonis, qui Demeam assentatorem ligone percussit. Nullum enim animantium genus assentatoribus, ait Plutarchus, perniciosum magis, nullum quod citius juventutem in præcipitium agat, nullum quod facilis fortunas, honores, vitam denique ipsam radicibus evertat. Ideoque Diogenes interrogatus, quæ bestia morsum haberet nocentissimum: *Si de feris, inquit, interrogas, obructor; si de cicuribus, adulator.* Nam veluti aucupes blandulo quodam stridore & mellita vovula simplices aviculas, aut visco implicat, aut in pedicam injiciunt: ita pellicit homines adulatio, & mox in omne scelus impellit, eoque impulsos & involutos, in vitam demum calamitosam trahit, perque caput & pedes in profundissimam ærumnarum voraginem demergit. Recte itaque dicere solebat Aristonymus: *Ligna dum ignem nutriunt, ab ipso consumuntur: divitias dum adulatores alunt, ab eis labefactantur.* Excepisti tu: Recte quidem, mi Pieri, nam in memoriam illud mihi revocasti, quod Phavorinus Philosophus Actæonis fabulam a suis canibus, quos alebat, devorati, ad adulatorum trahit eventum, quorum finis & intentio est totum absumere, si possint, dominum. Quod cum ita sit, Antisthenes sive Diogenes Cynicus cum ligone suo summo opere commendandi sunt, qui, quod in vita perniciosissimum esset animadvertentes, urbanissimo dicerio alter, castigatione alter, homines ad morum integritatem & prudentiam natos, admonere voluerint, ne pessima parasitorum contagio labefactati, per imprudentiam in tam proclivia vitæ discrimina pestum raperentur, omniumque ignominie, contumeliis atque ludibriis expositi, eorum quibus

quibus se suaque omnia crediderant, prodicione perderentur. Subsecutus ego sum : At ne Cervum tantum Musicæ capi lenocinio persuasum habeamus, Equos etiam, fera:ia alioqui animalia, eadem affici suavitate, Persica ex historia compertum, magno eorum detrimento, qui bellatores eos effeminatis cantilenis & modulis assuescissent. Murænas quoq; & Trissas, piscium genera, evocari contentu & tintinnabulis, exploratum est vulgò : quamvis Murænas genituræ tantum tempora, utpote quæ Serpentium sequi sibila feruntur, quibus eas admisceri tradunt. Jam & Otus, cui nomen inter aves ab auribus est, tanquam cantaminibus circumventus modulamine afficitur, humerosque jaetare, saltitare, & nutare vertice, quasi modulos teneat aspicitur : sed nulli horum Musica est exitio veluti Cervus, quapropter hinc potius Ægyptii hieroglyphicum suum desumere voluerunt. Sane quo minus mirum sit, Cervum Musicæ modulos intelligere, apud Ælianum legitur eum Indicæ vocis callere sonum, sermonemque percipere, neque alium quempiam ita facile : quamvis Ptolomæo Philadelpho Cervus fuerit, qui Græcum idioma prorsus intellexerit. At jam satis super Cervi Musicæ evagati, reliqua nunc ejus animalis significata subjungamus.

PRÆCIPITANTIA. CAP. II.

Percito quempiam ingenio, temereq; ac nulla ratione sese moventem (ut plerumque furores sunt qui Panici vocantur : quippe cum nulla urgente causa quis infugam se proripiat, negotiumve, quod præ manibus erat, statim abiciat, inceptumque deserat) Ægyptii per Cervum & Viperam appictam intelligebant, Pugna enim huic est cum Serpente, cujus etiam cavernas instigat, nariumque spiritu extrahit renitentem, ut luculenter his versibus Lucretius :

Vipera Cer-
vo inimica:
Lib. 6.

Naribus alipedes ut Cervi saepe putantur

Ducere de latebris Serpentina secla fenarum

Ideo singulare abigendis Serpentibus remedium, Cervini cornu suffitus, ut apud Nicandrum legitur. Idem ipse tamen tam acer anguivium hostis, qui tanto eos conatu perquirat simulac ex improvviso Viperam conspexerit, in pedes se repente proripit, ac fugit : ingenita scilicet naturæ discordia concitus, quæ illi accidit, ut idem Poëta refert :

*Propter dissimilem naturam, dissimilesq;
Texturas inter sese, primasq; figuras,*

*Multa meant inimica per auras, multa per ipsas
Insinuant nares infesta atq; aspera tactu.*

Arimid. l.
2. c. 13.

Sane conjectores etiam tradunt, eum qui per nocturnam quietem imaginatus fuerit videre se Cervum quempiam instantem tergo, longeque sequentem, tuturum ut qui tale somnium viderit, ea sit formidaturus, ex quibus nulla sit offensio subsecutura, ac proinde frustra timet.

PRAVITAS EDMITA. CAP. III.

Vipera
MNA.

Siquid verò ad vetera significata addere concedatur, cum Vipera sit profligatissima, tota vita sceleribus inquinatissima, alia mariti, alia matris parricidio polluta, venenumque ejus atrocissimum, quod omnem, ut ajunt, exuperat medicinam : apte mihi fecisse videbitur, si quis vel Regem, vel Magistrum, vel Judicem quempiam in scelera vindicem sese acerrimum exhibentem, per Cervum & extractam è cavernis Viperam, quam mordicus apprehenderit, figuravit. Eodem etiam hieroglyphico virum intelligemus, qui morum impuritatem corrigat, scelera eluat, pravitatem emendet, & quod idem ait Poëta,

*Veridicis hominum perpurget pectora dicitis,
Et finem statuat cupidinis atque timoris,
Exponatque bonum summum, quo tendimus omnes :
Quale sit, atque viam commonsiret in mite parvo,
Qua possimus ad id recto contendere cursu,
Quidave mali immineat rebus mortalibus olim.*



Hoc

A Hoc enim est maleficum Serpentem, qui clam insidiis excubat, è latebris extrahere, extractumque interficere, interfectum denique devorare.

FUGACITAS. CAP. IV.

Fugitivum dubio procul hieroglyphice notare qui vellent, currentem Cervum describebant. Eavero fugacitas Cervo natura insita. Hinc Lucretius: *Et fuga Cervus à patribus datur, & patrius pavor incitat artus.* Quam vero pedum alacritatem in Achille fuisse auctores tradunt, ut *πρόδραχης, κέχθαι* Achilles *πρόδραχης* passim ab Homero vocitetur, sunt qui autem inde partum, quod ejus infantia sub *quære sic dicitur.* Chirone fuerit Cervorum medullis plurimum enutrita. Porro illum affecutum esse Cervos absque Canibus, & retium insidiis, Pindarus in Nemeis canit:

κρίνοντ' ἐλάφους ἀνδρῶν κνωῶν, δουλίων θ' ἐρεῶν.

Nam de agilitate Cervi superfluum est verba facere, cum scriptis omnium in primis celebretur, præcipue vero *κατ' ἐξοχῆν* quandam, Laconum chorus, Aristophanica Lyfistrate dicat, saltandum pedibus est tanquam Cervus aliquis. Sed quod de Achillis nutrimento & nomine positum est, Nazianzenus Achillem dictum ait, quod sine cibo fuerit educatus: *χυλός* enim cibus & succus est: ille vero crudis tantum ferarum artubus pasci fuerit asuetus. Sed & quod de Chironis institutione circumfertur, mirum ab Homero nusquam hujus rei mentionem fieri, cum tamen Apollonius, & qui post Homerum fuerunt Poëtæ plerique omnes educatum Achillem à Chirone tradant. Addam hic Telephum Herculis & Auges filium, quem Alæus Auges pater in Panthium montem exposuerat à Cerva educatum esse, ut apud Lycophronis interpretem habetur, quod & nomen ipsum ostendere videtur: Cervi quippe nutricatum significat.

INTERQUIESCENS. CAP. V.

Quamvis autem cursum perniciosissimum Ægyptii ex Cervi currentis specie intelligi monuissent, quia tamen is requiem inter currendum aliquam facit, consistensque manet, dum qui sequitur appropinquet, tum fugam item arripit, factum est, ut hominem aliquam laboribus suis requiem interponentem significare si vellent, currentem quidem Cervum pingerent, sed retro spectantem, cum in solius tantum fugacitatis significato caput surrectum statuerent, ut cornua per dorsum demissa residerent. Ideo vero Cervus dum fugit interquiescere cogitur, quod tenui imbecilloque *Cervus cur inter currendum quiescat.* est intestino, quod leviter etiam percussum rumpi possit, cute adhuc integra permanente. Denique imbecillum adeo animal est Cervus, ut tactus ab aspalatho (ea est spinæ species) emoriatur. Verum hoc & alia de causa, & alio etiam potest modo pingi, quippe si tres pluresve Cervos natantes feceris capitibus alterius clunibus impositis, atque eorum primum avertentem se quasi ad postremum locum: quo quidem officio mutuo se adjuvant, cum ex Sicilia transferant in Calabriam per æstatem, pabuli gratia: idque plurimum juxta urbem Rhegium, qui propterea quod onus capitis super aquas exstantis haud facile sustinet, inter natandum singuli super anterioris lumbos caput imponunt: dux vero cum defessus est ad ultimum transit locum, atque ita mox alius atque alius labore cum quiete communicato, incolumes transeunt. Si cui tamen quod superius positum est hieroglyphicum magis placuerit, res in medio posita est.

FORMIDO. CAP. VI.

D Stuporem præter hæc, formidinemque per Cervum & puniceas pennas prætentas significari omnibus innōtuit, tam ex iis, qui Animalium historias conscripserunt, quam ex Virgiliano carmine, qui Turnum attonito quodam pavore percussum Cervo æquiparat *punica sepio formidine penna.* *Virgil lib. 5, Georg.* Libet vero loco hoc de pennis ad Cervorum formidinem excogitatis historiam enarrare, quæ non tantum Virgilii carmen explicabit, verum etiam hieroglyphico huic argumento plurimum afferet claritatis. Narrabat mihi Jo. Antonius Pollio Geloum Princeps, Pontificii contubernii mihi socius, stare *Cervorum venationis* adhuc in Sicilia hanc venationis antiquæ rationem, quæ sic fieri soleat. Nobiles ubi renunciatum fuerit Cervorum greges usquam oberrare, alter alterum invitantes prope conveniunt, afferuntque *se. antiquæ ratio.* cum Scorpionem aut arcum singuli, & fatisculū virgarum, quæ omnes ferrea cuspede præpilatæ sint: *quorum*

L

quorum

quarum caput alterū in summo perioratum est, funiculo perpetuo per virgas singulas ea transmisso A longitudo earum ad pedes quatuor, vel circa. Cum ad locum pervenerent ubi Cervos congregatos norunt, late diffusi equites peditesque modum agri, quanto satis est ambitu, circumstant, stationemque unusquisque suam per intervalla certa suscipiunt. Hic fascem quisque suum explicat, primaque virga ad finitimi ultimam alligata, reliquas per decempedæ, circiter intervallum singulas terræ affigit: idem alter, idem alii faciunt, donec Cervos undecumque concludere. Virgis ita dispositis pennarum punicearum, quas in hunc usum magno numero fucatas habent, fasciculos licio suspensos ad traductum per virgas funiculum hic & illic alligant, qui aura vel levissima impulsus varia jactatione moventur. Stationarii mox in proxima se quisque abduunt virgulta, sagittisque intentis expectant taciti. Liciorum hoc sepem ingreditur eques tantum unus cum odorisequis Canibus, iisque non admodum magnis. Hunc venationis magistrum vocant. Is ubi gregem nactus est, sensim accedit, latratuque Catulorum tantum fretus, agmen incipit agitare: illi conferti omnes una fugam capessunt, at cum ad licia pennarumque illas pensiles pervenerent, subito pavescunt ulterius progredi non audent, sed illarum motum & fulgorem declinantes ad lævam non procul flectunt, & rutilantes fasciculos illos prospectantes, tanquam muro inclusi circumaguntur: subsequitur magister, nomine quemque vocans ex stationariis, prout unicuique sit proximus: atque huic primum vel secundum, illi tertium aut quintum aut septimum ex libidine sua telo excipiendum destinat, futurum sagittario de decori & ignominia, nisi oblatum à magistro fauciarit, vel si alium quempiam quam nuncupatum appetierit. Magister ita agmen tamdiu circumagat quasi per pomeria processus, donec ita præda omnis per omnium vices concidat exanimata. Hæ lunt itaque pennæ illæ, quarum formidine attoniti stupide facti Cervi, ab alienato prorsus animo consternantur. Has enim non aliter pavet, quam Elephantum colorem album, Tauri phœniceum ac rubicundum, Tigres tympanorum sonitum, Ursi Leoneve mappam, amiculumve in caput injectum, de quo locis suis. Sed quod ad Cervum pertinet, dant hoc nonnulli animalis stoliditati, ingenitoque cuidam stupori, qui ei de re qualibet oriatur. Natura omnino sunt hi meticulosi, quia frigidiusculi. Philosophi enim animalia eo omnia formidine magis laborare tradunt, quo frigidiora sunt, idque quotidiano comprobatur experimento. Cervos vero esse C frigidos, lacryma dulcis argumento est, quæ saluginosa est Apris, qui magna pollent caliditate. Hinc fit, ut ille fugiat, hic hostem adoriatur, proque viribus injuriam ulcisci pertentet. Sed cur non Lucretii Latini Philosophi, eaque de causa mihi sæpius citandi, luculenta super hoc carmina recitemus?

Quare Cervi
si sint meticolosi.

De rerum
natura, l. 5.

At ventosa magis Cervorum frigida mens est,
Et gelidas citius par viscera concitat auras,
Quæ tremulum faciunt membris existere motum.

Atque idem superius dixerat:

Est & frigida multa comes formidinis aura,
Quæ ciet horrorem membris, & concitat artus.

Carm. lib. 1.
Od. 15.

Hujus rei doctrinam secutus Horatius ait:

Quem tu Cervus uti vallis in altera
Visum parte Lupum, gramini immemor
Sublimi fugies mollis anhelitu.

Et Græci ἐλαφον ἀνδρα omnino dixerunt, pro maxime formidoloso. Et Cleonymum taxat Aristophanes timidissimum hominem, quem Nebulæ per figuram Cervi referebant. Sedenim quod de animalis frigiditate Philosophi dixerunt, longe aliter apud Euthymium inveni, ut in subjecto habetur hieroglyphico.

VEHEMENS APPETENTIA.

CAP. VII.

VEhementissimi enim desiderii signum esse Cervum ad aquæ fontem adspicentem, Divina indicant literæ, dum ita canunt; *Quemadmodum sisibunda Cerva inibat ad aquarum rivos, ita anhelat anima mea ad te, Deus.* Cerva enim suapte natura ita calida est, ajunt sacri Interpretes, ut frigidissimis reptilium carnibus mirifice relevetur; ideoque eas avidius appetit, quibus absumptis natu-

A naturalillo calore *ἡ δὲ ἀντιπρόθετα* magis ac magis concitato, studiosissime gelida fontium fluenta perquirat,

FORMIDO SUBLATA. CAP. VIII.

Quod autem Herculem Cervum enecantem multa artificum opera proponunt, sumptum ex Poëtarum fabulis argumentum, in quo tamen hieroglyphicus delitescit intellectus, pavorem è mortalium vita sublatum ex eo significari tradit Heraclitus, qui pleraque fabularum figmenta in hieroglyphicum hunc modum interpretatus est. Sed quantum ad timiditatem pertinet, cum affectus hujusmodi in servis præcipue deprehendatur, utpote qui seorsum ab ingenua liberalitate sint vel educati, vel instituti, mos apud Comicos in primis inolevit, ut fugitivi, quod omnino timidorum est, Cervi appellarentur. Ejus timoris ergo Achilles apud Homerum ignaviam objicit Agamemnoni, dum cervino eum corde præditum objurgat. Pomp. Festus servos fugitivos unius tantum literæ mutatione Cervos nuncupari solitos tradit. Sedenim, ut eo vocitarentur nomine, non ipsa tantum fugacitas in causa fuit, verum etiam historia. Ajunt enim Servium Tullum ædem in Aventino Dianæ sacrasse, diemque instituisse Idibus Augusti, quo die ipse serva natus esset: mos vero erat, ut Deæ ara ex cornibus fieret, caforumque Cervorum capita valvis & parietibus affigerentur, ipsumque Dianæ simulacrum, ut in plerisque numis habetur, cum Cervo affingeretur, quod animalia ea in ejus esse tutela dicerentur. Ab utriusque igitur rei similitudine, & scurrili propemodum in regem loco, servi fugitivi Cervi cœpti sunt appellari. Addam id, animalia ea Cervos quasi geruos dictos, quod cornua gestant usque adeo grandia. Nam & Ceres quasi Gerēs à gerendis frugibus dicta, ut Etymologici putant. Illud vero servile identidem est, quod onus tam magnum Cervi gerunt capite, quoniam ponderum gestatio sit servorum propria.

Homerus
Iliad. lib. 1.

AUDITUS ET SURDITAS. CAP. IX.

Surrectas aurículas Cervi, auditus acris significatum esse, ostendit illud, quod *ὠσὶν ἐγώσσι* pro-
S verbum fertur, quod *arrestis auribus*, Maro, & *arrigere aures* Terentius interpretatur. Contra vero pro surditate easdem demissas pingere moris est: quia tunc Cervi acutissime audiunt, cumurrectas aures protendere: cum vero eas demiserit, vix proximum excipiunt sonum. Nam cum auditus, ut placet Empedocli, fiat illi spiritus in claviculatam aurium partem introrsus adnexam, quam tintinabuli vicem præbere dicit, utpote cælo loco sita, pulsuique obviam, accidit ut negato per hujusmodi aurium depressionem ingressu, surditas obveniat necessario. Alia quædam Medici comminiscuntur, sed quæ nihil ad rem nostram attinent: hoc siquidem significatum ex gestu desumitur auris, quæ cum surrigitur, patet: cum vero demittitur, auditum obturat. Nam & Aristoteles Cervos ait, cum aures demiserint, facile capi, quod insidias non senserint: cum vero eas intenderint, facile insidiarum admoneri.

En lib. 1.
Terentius
in Andria.
Quomodo
hæc auditus
& surditas.
Aristoteles
lib. 9. de
nat. animalium.

MULIEROSUS. CAP. X.

SI qui vero mulierosum hominem, & multarum concubitarum appetentem notare vellent, Cervum sexporrecto genitali pingebant. Is siquidem cum urgente jam Venere coitum appetit, non in una tantum immoratur, sed mutat, brevique interposito tempore aliam atque aliam superegreditur. Ajunt vero Cervorum coitum non esse flatarium, ut reliquorum animalium, sed Cervam simulacrum marem accepit, identidem currere, applicitumque Cervum & rem nihilolecus peragentem dorso devecare: illum duobus tantum pedibus terræ innixum pertinaciter sublequi, nec nisi re peracta desillire.

LASCIVIAE POENITENTIA.

CAP. XI.

ILLud spectandæ probitatis exemplum est, quod volentes hominem propter propriam petulantiam, qua lapsus fuerit, pudore affectum ingenuo significare, Cervum in scrobe delitescentem ostentabant. Is enim cum feminam implevit, separatur per se ipse, & propter libidinis graveolentiam solitarius scrobes fodit: fetent enim ut Hirci, facies quoque eorum nigrescit aspergine, ut Hircorum. Degunt igitur hac destinatione quousque imber accidat, ablutique inde pascua repetunt.

Cervus tur
& quando
latitet.

Alia itidem de causa latitare Cervum cum obser-
vassent antiqui, hominem, qui vel candidatus tur-
pem esset repulsam passus, vel partam dignitatem amisisset.
Vatiniana aliqua affectus ignominia: & propterea
tanto perfusum pudore, ut in frequentiora loca prodire
non audeat, ostendere si vellent, Cervum marem si-
ne cornibus inter virgulta fruticesve abditum pingere
soliti sunt. Cornua enim mares tantum habent, qui-
bus amissis tamdiu præ pudore latent, quoad altera
renasci ceperint. Alii dicunt, non præ pudore fieri
hoc à Cervo, sed natura duce, quod se latebrarum
præsidio tutari velit, qui se armis privatum cernat:
veluti sepia atramento luso suæ consulit incolumitati,
ne capiatur, & polypus coloris mutatione venatores
fallit. Quod vero plerique Historiæ animalium scri-
ptores feminas è Cervis sine cornibus esse tradunt,
longe diversum est ab eo, quod Olympiis ponit Pindarus, ode quæ Theroni scribitur *εις θεοζήνια*.
Ita enim ibi: *χερσὺν κρημνῖ ἐλαφὸν θήλειαν ἄχοιθ' ἀν ποτὶ ταυγέλα ἀντιθέσ' ὀρθωσία ἐγγραψεν ἱερῶι*
quo loco interpres introductam ait à Poëtis cornutam Cervam, cuiusmodi ea fuit, quæ Telephum
lactavit: Positum hoc idem ab Anacreonte, sed à Zenodoto correctum, ob vulgatam historiam,
quod in eo genere feminæ cornua non habeant: nam quod scripserat Anacreon, *ἀγῶν ὡς οἰδα
νεερόν νεοθηλεα γαλαθῶν, ἃς' ἐν ἕλαις κερφόσσης ἀπειφθεῖς δόπο μητρὸς ἐπισηθή:* pro locutione *κε-
ρφόσσης*, quod cornigeræ significat, Zenodotus, is emunctæ naris censor *ἐργέσσης* reposuit, hoc est, de-
sideratæ vel amabilis. Subjungit interpres, inventas tamen aliquando, nec incongruum esse, a-
liquas habere cornua: quemadmodum in Elephantis, de quibus tradunt Æthiopicis & Lybicos
tam mares quam feminas habere dentes, cum tamen in India, ut observavit Amytianus, huius
generis feminæ sine dentibus esse conspiciantur.



ARMORUM APPARATUS SINE CORDE IRRITUS.

CAP. XIII.

Ex cogitarunt etiam juniores hieroglyphica quædam argumenta, quæ passim referre, utut de-
poscere locus videbatur, haudquaquam puduit, cuiusmodi hoc est, quo apparatus bellicum
frustratorium & inanem esse, nisi præsens ardensque adfit animus, per Cervum magnis insurgen-
tem cornibus significari posuerunt. Naturam enim inquit, Cervo, animali admodum degeneti,
cornua magnitudinis adeo spectandæ ac asperitatis horridicæ contribuisse, quo argumentum esset,
eos qui audacia & fiducia ipsi præditi non essent, frustra ullum armorum apparatus, & instrumenta
bellica comparare. Dicere solebat Antisthenes, bona omnia à Diis hostibus optanda præter u-
nam fortitudinem: illa enim quotquot essent, non esse possidentium, sed eorum, qui armis præsta-
rent, & viribus pollerent. Nam nisi ad opes & potentiam præsens acerque animus adjiciatur, facile
vel ipsa infringitur fortitudo. Hinc egregium illud Chabriæ Atheniensium ducis dictum, quod &
Philippus usurpare solitus, formidabiliorem esse Cervorum exercitum Leone duce, quam Leonum
duce Cervo. Tantum is animorum vigori, quo Dux ipse polleret, tribuebat, idque multis stratage-
matum exemplis apud rerum scriptores passim verum esse comperitur. In hanc sententiã Demades
Philippo, qui contra Athenienses superior evaserat, adulaturus, *ἐργῶς ἀν' ἐφ' η, ὡ βασιλεῦ, τὼ τ' ἰσ-
λευς δὲ δύναμιν, εἰ ἀθλωμάτων μὲρ Φίλιππο Ὀρμακεδόνων ἢ χάρις ἐστρατηγῆ.* Nolle inquit, o Rex civita-
tis robur si Atheniensium Philippus, Macedonũ vero Chares exercitui præfuisse. Chares enim dux fuerat
Atheniensium. Non omnittendum hic, quod Tertullianus nosse ait se Christiani gregis pastores a-
liquos in pace Leones, in prælio Cervos: quod quidem vir ad martyrii cruciatus in pavidus & para-
tissimus, ad ineptias tollendas ferventissimus, neque animos pusillos, neque ignaviam quorumdam
ferre poterat.

*D. Laertius
in eju vita.
Antisthenis
& Chabriæ
dicunt e-
gregium.*

*In Apologe-
tico.*

ACTÆ

FRivola vero mihi videtur Anaximenis interpretatio super Actæonis fabula, de qua superius mentionem fecimus, qui conversus ideo dicitur in Cervum, & à canibus suis dilaceratus, quod periculis, quæ venando subierat demum consideratis, ætate jam ingravescente timidior factus, in cervum transformari sit visus: cumque Canes nihilo fecius aleret patrimonium consumpsisse, idque à Canibus laceratum esse significare, potius historia, non fabulæ cujusquam figmentum, invento huic dederit argumentum. Actæonem enim & Cippum cornutos editos, Plinius auctor est. Quin apud Max. Tyrium legas, apud Corinthios, Bacchiadarum facinus in Actæone Dorico adolescente discerpendo admittum, Bœotio illi assimilatum, in quo Actæon à veris est Canibus laceratus. Quod vero Homerus ait, Diana per juga montium errantem gaudere telis, & Capreis, ac fugacibus Cervis delectari, sunt qui ad Actæonis fabulam convertant: sunt qui vetustam Philosophiam secuti, sagittas eas, quæ Cervum assequuntur, hieroglyphice solares radios indicare velint, quorum scilicet repercussu, cornua ipsa pro loci, ubi Luna est, conditione, & appareant, & obducantur. Nam & Lucretius tela hæc ita interpretatur:

Non radii Solis, neque lucida tela diei.

Dianam autem Capreis & Cervis tantum gaudere, Homerus, dicit, Leonibus autem minime: nempe quia circa Taygeta aut Erymanthum eam venari dicit, ubi Leones non habentur. Elei sane Dianam *ἑλαφίστα* vocant, ut apud Pausaniam est, quam vis aliter alii nomen interpretantur. Videas tamen passim Dianæ simulacro Cervum ut plurimum in venatum objici, qualem præcipue speciem in Hadriani numo cernere est, cum inscriptione, *ΑΡΤΕΜΙΣ ΕΦΕΣΙΑ*. In aliis quoque ejusdem Hadriani Dianæ itidem Ephesæ simulacrum geminis duum Cervorum inter se averforum clunibus insidere conspicias, atque aliter in aliis. Et Cerva est in multis Galieni numis cum inscriptione, *DIANÆ CONS. AUG.* Ea enim ambitione fuit, ingenio vir alioquin impurissimo, ut Deos omnes ad sui custodiam & conservationem occupatos esse jactaret. Hinc feras fere omnes, quotquot numinibus dicavit antiquitas, numis suis eadem inscriptione cudendas curavit: quorum vis magna paucis ante annis in agro Bellunensi reperta est. Neque tamen Dianæ tantum, verum etiam Milanioni, & Atalantæ heroibus Cervus dedicabatur, quorum simulachra cum hinnulo in Olympia fuisse Pausanias testatur. Quod vero ajunt Iphigeniam cum jamjam ad aras patris jussu mactanda constitisset, in Cervam demutatam, ac ipsius Dianæ numine in Tauricam regionem asportatam, Nicander in Taurum ait, Phœdinus in Ursam, atque ita omnia variant in Græcorum fabulis, à quibus longe diversa leguntur apud Lycophronem & ejus interpretes.

VIVACITAS. CAP. XV.

Vivacitatem ex picto Cervo significari, quod Ægyptiorum commentum est, magis exploratum arbitror quam ulla sit opus commentatione perquirere. Datum enim illi est à natura, ut quam diutissime vivat. Verum cum id sacerdotibus ostendere volebant, cornua maxime ramosa faciebant, siquidem unoquoque anno ramus horum cornibus adjicitur: sed ut nonnulli observarunt, non ultra sex annos ab eo tempore similia reviviscere, neque atatem in dediscerni posse, sed ex dentibus, quos tunc cum grandævus est, aut paucos, aut nullos habeat. Sedenim experimento compertum est, cornua senescentium asperiora quotannis fieri enormioraque, pluribusque tuberculis & mucronibus horrida, quo magis in senium vergant. Animadvertendum autem in manuscriptis Hori condictibus antiquis, *πελορηγόνια σμυαίνι* scriptum, non *πελορηγόνιον* ut in impressis habetur, quod *multa tempora*, interpretandū esset. Sed parvi hoc momenti. Agathoclea Syracusanorum tyrannum ferunt



Plin lib. ar.
1.37.

Lib. 1. De
nat. rer.

*Cervi atav
unde di
gnoscatur.
Auctor
Ailianus,
nec ab simile
exemplum
in Chroni-
cis Franco-
rum tempo-
re Caroli
septimi.*

ferunt Cervum venando interfecisse, circa cujus collum torquis erat aeneus, superinducta jam pelle tectus, in quo huiusmodi legebatur inscriptio, ΔΙΟΜΗΑΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΙ: quem Princeps ipse magna veneratione susceptum Dianæ statim consecravit, diutissimeque apud Peucetios Italiæ populos in percelebri Dianæ templo, cujus meminit Aristoteles, torquis ille conspicuus fuit. Superare vero eos trecentos annos multi prodidere, plerique plures, plerique pauciores: quod quidem utcumque se habeat, receptissimum est eos esse vivacissimos, & vivacitatis elogio passim à Latinis Græcisque scriptoribus appellatos,

VIR UNDECUNQUE PERFECTUS. CAP. XVI.

Sed jam tempus est, ut ruminacionis significatum exequamur, si prius tamen locum apud Plinium expendimus, ubi de Cervi ruminacione loquitur, quem sylvestrium tunc ruminare, cum à nobis aluntur, dicere videtur: quasi cicuratio sit ruminacionis causa. Sedenim, uti reor, vel aliquid deest, vel, quo adduci non possumus, Aristotelem non expressit, qui eo probat argumento Cervos ruminare, quia idem faciunt alti à nobis. Ait enim: *Ex feris ea tantum ruminare novimus, que aliquando cum hominibus degunt, ut Cervus: hunc enim ruminare manifestum est.* Huius vero rei significatum est à Divinis literis interpretandum: ex quibus animalia, quæ ruminant, & ungulas bifidas habent, profana non esse discimus, quod quidem eo velamento subinnuit, eum qui sacris sit initiandus, pietatis meditatione, neque non doctrina, iudicioque præstare oportere. Bifida siquidem ungula discernendi doctrinam, & singulorum indicat examinationem, quam per ipsas rerum distinctiones assequimur, ut rectum ab indirecto, lepram à non lepra discernere possimus: ruminatio vero, ut sæpe dictum, pietatem & divinarum rerum meditationem ostendit: horum qui altera careat, tanquam ineptus rejiciendus. C



Alterius siquidem Altera possit opem res & conjurat amice, diceret Horatius, de quo tamen significato in Porco latius ex Philone. Eoque forsitan spectat dictum illud ex 29. Psalm. ut apud Græcos est, *Φωνὴ κυρίου καὶ ἄγγελος ἐλάφου, Vox Domini quæ Cervos perficit,* vel, ut alii, *Præparat.* Significat

Vox Domini quæ d.

vero, καὶ ἄγγελος ἐλάφου, instruere aliquem ad negotium quod exequendum susceperit. Vox igitur Domini, quæ Cervos, hoc est, viros non indignos qui admittantur ad sacra instruit, & ad certam vitæ rationem inducit, ea est, quæ per Prophetarum vaticinia, per Evangelicam institutionem, per Apolorum prædicationes per Doctorum optimorum interpretationes, nobis innotuit. Adamantius, cuius sententiam Euthymius mihi sequi videtur, eo rem trahit: ut eos viros Dominus ad profectum sapientiæ ducat, qui Serpentes sint assidue persecuturi (qui sermo mere est hieroglyphicus) hoc est, bellum cum hæreticis, & falsorum dogmatum authoribus gesturi, diabolique tentamenta conatusque ejus omnes exuperaturi, quo debellato certamine triumphabundi mox cantare valeant ex altero supra quadragesimum Psalmo: *Quemadmodum anhelat Cervus ad fontes aquarum, insitibundus sit animus meus ad te Deus. Sitivit, inquam, animus meus Deum, cum qui fortis est, qui vivit.* D

Proverb. 5. 79.

Cant. c. 8. Columbinus pullus.

His vero Cervis montes excelsum pervii, sublimitas quippe cælestis illucescit, supremæque doctrinæ fastigium, quod nubes omnes exuperat, quo simulac mortalium insidiis appetuntur, aut Canum latratibus exagitantur, tuto confugiant, & sine perturbatione sospitentur. Ubi vero in Divinis ipsis literis, in Proverb. quippe Salomonis legitur, *Cervus amicitia & gratiarum pullus fabuletur tecum,* hieroglyphice quidam, ait Eucher. ita interpretantur, ut Cervum amicitia accipiendum putent. Christum, totius dilectionis & charitatis magistrum: nam & alibi, & præcipue in Cantico, Christus ex Cervi imagine describitur, ut eo loco: *Similis es tu, frater meus, damule, aut hinnulo Cervorum.* Gratiarum vero pullum, quem accipiamus, nisi columbinum, ac perinde S. Spiritum, qui sit omnium gratiarum, quippe ut veteres vocabulum usurpant, *χαρισμάτων* distributor? Admonemur ergo

A ergo per Salomonis præceptionem, ut semper Christi, vel Spiritus sancti solatia requiramus. Sed antequam cornuum Cervinorum genera prætereamus, id observandum, è Cervorum genere, qui cornibus latis sunt, Tragelaphos, ut tradit Eucher. Divinis literis nuncupari. Animadverti interdum è summis fraxini arboris ramis nasci quid ad hujusmodi cornuum similitudinem, furculo quippe aliquo detruncato, mox gummi de cortice exundante, qui in eam mox speciem Virgiliani visci more crescat, & vario flexu modo in spiram, modo instar acanthi, flexibus anguineis incurvetur: id quicquid sit lignum omnino est, atque admodum solidum, sed forma lata strisque multiplicibus loricata.

FEROCITAS IN TIMIDITATEM VERSA.

CAP. XVII.

Sed quoniam in Tragelaphum incidimus (qui nomen id adeptus est à cornibus, quæ propter latitudinem & strias hujusmodi hircinis admodum similia sunt, ramosa tamen, sed non in acutum tendentia) quid de Hippocervo dicemus, quem nostra vidit ætas, anteriore parte Equi, posteriore Cervum sesloris & ephippii patientem, ingressu tamen incommodo, utpote qui modo assultu, in festa modo succussatione seslorem conqussaret? Misit hunc dono Fridericus I. Mantuæ Dux Francisco Galliarum Regi, salutis nostræ anno xxxiv. supra M. D. Quod si quid hujusmodi pingere voluerimus, non incongruum erit animalis hujus hieroglyphicum, ferocem impetu primo hominem significare, qui mox in pavidum evestigio degeneret, & in fugacitatem elabatur.

DE CORNIBUS.

SPECIOSÆ FORTUNÆ INCONSTANTIA.

CAP. XVIII.

Quoniam vero Cervus ad Lunæ similitudinem cornua nunc amittit, nunc reparat (nam & fidei cornua & decidere & succrescere videntur) hieroglyphicè nonnulli ponunt Cervi cornua, si quempiam ab ignobilitate modo ad honores evectum, modo ab honoribus ad ignobilitatem redactum assiduo fortuna rotatu, varioque eventu, significare voluerint. Solis enim animalium cornua recidivaque annis omnibus Aristoteles Achaicis Cervis hoc ait accidere: eosque, ut supra dictum, præ pudore tamdiu latitare, & loca difficilia accessu petere, donec alia renascantur, quamvis castratis ajunt, neque decidere, neque si prius deciderint, renasci. Toto vero opere cornua dignitatis, potentia, fortitudinis, authoritatis, & imperii indicia esse demonstrantur.

SACROSANCTA DIGNITAS. CAP. XIX.

Hinc aliud nascitur hieroglyphicum, ut sacrosancta dignitas ex unoquoque cornu significetur, *Cornu sacrè significatio.* quod antiquissima omnis veterum indicat disciplina. Honoris enim, uti dicebamus, & potentia signum tam apud Gentiles, quam apud Christianæ pietatis cultores, quique eos præceperunt Hebræos, habita sunt cornua. In Divinis siquidem libris cornu passim pro Regia dignitate positum reperimus, complexaq; similitudine quadam inter se, cornu, radium, & coronam. Inde Moses cornibus insignis effingitur, cujus facies divini Solis lumine correpta, radiis quibusdam igneis promicare videbatur: adeo ut Israeliticus populus cum splendorem eum ferre non posset, oculis ad obtutu cæcutientib; ab eo ut velata facie verba faceret studiosissime contenderunt. Eadem porro dictio apud Hebræos & cornu & coronam denotat. Unde sæpius apud Latinos in literis Divinis cornu pro Corona positum legimus, passimq; ex instituto veteri coronæ regie radiorum referunt similitudinem: ut non temere olim institutu sit eas Apollineo capite duodecim pretiosis lapillis confici, qui splendore suo promicantes caput univsum radiis illustrarent. Totidem autem radiis coronas regias constaret, tum ex numis veterum, monumentisq; aliis vel ære fuis, vel marmore incisis, tum ex Virgiliano *Virgilio Aeneid. lib. 9.* carmine videmus, ubi Latinus tædera certaminis inter Æneam & Turnum sancturus, sic ait:

*Quadrifugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen.*

Signa

Significarunt & in portentis cornua dignitatem, ut purpurea illa, cum quibus Bos albus olim natus, Albino Clodio tum primū in lucem edito: Imperatoriam enim illi dignitatem portendisse persuasum est. Quæ quidem ille jam grandis cum Tribunus effectus esset, in templo Apollinis Cumani suspendit, sortesque illis has eduxit:

Virgil. Æn. lib. 6.

Hic rem Romanam magno trepidante tumultu
Sistet, Equis sternet Pavor, Gallumq; rebellem.

Sed hæc verbosius forte quam par erat explicuimus, nulla tuarum occupationum ratione habita, mi Bocchi. Sed nosli Cervi Cornua esse insigniter ramosa, quæ τὸ πᾶσι δὲ τῶν τε pro cœnaculis ad parietes affigantur, in quorum scilicet ramos hospites domesticiq; omnes, annulos, sudaria, pileos, & id genus multa soleant appendere, cum se vel cœnaturi, vel accubaturi, volunt expeditos. Hinc tot ea fuerunt, quæ Cervinis cornibus applicata reperisti. Quæ quidem si tuæ non respondent expectationi, quid ego veniam à te deprecer, qui maxime omnium unus nosli occupationes meas? Pro summa vero eruditione tua dabis operam, ut Cervus meus & torquibus aureis, & insignioribus aliis monilibus adornetur: unde aliquod eo sanctissimæ amicitia nostræ monumentum posteritati relinquantur.

JOHANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIRER VIII.

DE IIS QUÆ PER FORMICAM, ET SCARABÆUM, ET ECHINUM SIGNIFICANTUR.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD ROMULUM AMASÆUM.



Quod maxime omnium animalium duo, te Formica scilicet & Scarabeus (quorum vitæ alterum negotiose, ejus alterum quæ in natura Deorum, contemplatione versetur, hieroglyphica sunt) in admirationem traxerint, minime mirum est, eruditissime Romule, cum & veteres Philosophi omnes in certamen commiserint, utrum brutum, humanum, an divinum etiam eorum esset ingenium altercantes, & an ea vera sint, quæ lib. de Nat. Deo. apud Ciceronem legimus, in Formica non modo sensum, verum etiam mentem rationemque atq; memoriam esse. Pythagorici enim, ut optime nosli, animam omnem, quæ sensibus & memoria sit prædita, rationis identidem atque etiam orationis esse partem asseverant: neq; interioris tantum, verum etiam exterioris, quæ uniuersusq; generis animalia, quantum necesse habeant, inter se mutuo loquantur: Minime vero mirum esse, eorum quæ Bruta vocamus, verba non discerni à nobis, Italis videlicet aut Græcis, cum barbarorum etiam multorum verba minime discernamus, qui utrum loquantur an vociferentur, distinctè satis non sâne possumus intelligere. Quamquam proditum est, fuisse etiam apud antiquos, qui sermonem animalium omnium intelligerent, inter quos Melampyrum & Tiresiam præcipue memorant, & multorum scriptis celebratum Apollonium Tyancum, quem referunt in amicorum cœtu & audisse & intellexisse Hirundinem alius nunciare Asinum prope urbem onustum tritico cecidisse, triticumq; humi diffusum. Philostratus ubi historiam istiusmodi narret. Passerem fuisse scribit, quem ita loquentem Apollonius intellexit. Utcumq; vero calluisse & cum avium & brutorum id genus linguas, uno omnes consensu tradunt. Sed enim parum hoc mihi videtur, quod, ut alia missa faciamus, Formicæ Scarabæive inter se loquantur, cum alia in his spectemus, quæ prudentiam, quæ pietatem, quæ legum observantiam, quæ agendarum intelligendarumq; rerum, quæ vel Philosophis interdum negotium facessere consuerint, noticiam præ se ferant, quod multis hinc

Brutorum sermo à nonnullis intelletus.